

colium? de eius cha
 cedo p picius: ut a
 annua solentate le
D martir' m' a
 sus qui n' o' h' e
 h' i' u' s' u' t' p' a' l' m'
S i' c' i' p' i' a' n' i' p' a' p' e' t'
 quos p' o' f' i' a' d' o' s'
 p' a' r' t' i' c' i' p' a' t' i' o' n' e' r' e' c' o'
 quozu' m' e' m' o' r' i' a' m'
 q' u' i' m' u' s' o' m' n' i' p' o' t' e' r'
 p' i' a' m' u' s' . p' . **A** l' i' a' c' o' r' i'
 g' e' r' i' m' ? : c' e' r' t' a' r' e' d' e' r'
 n' o' s' t' e' r' : u' t' q' u' o' d' p' i' a'
 m' i' n' e' q' u' e' s' i' m' u' s' d' o'
 p' r' e' c' i' o' s' i' s' a' n' g' u' i' n' i' s'
C o' m' p' l' e' n' d' o' . Q' u' o' r' i'
R e' t' e' r' a' t' i' o' d' e' a' p' o' s' t' o' l' i'
 h' o' i' u' m' c' r' e' s' c' i' t' a' t' 2' g' a' u'
 t' r' a' c' t' a' m' u' s' : q' u' i' b' u' s' n'
 m' a' r' t' i' r' u' h' o' n' o' r' e' d' e'
Q u' o' n' i' a' d' o' m' i' n' e' m'
 n' o' s' s' e' m' p' 2' m' i' n' i' a'
O b' l' a' t' u' t' i' b' i' f' a' c' r' i' f' i' c' i'
 p' r' o' s' t' r' a' t' u' s' .

de ap'osto'lis. **S** o' l' l' e' t' a' .
 Thunclio. **P** e' r' t' o' r' u' m' I' k' y' r' i' e' l' i' s' i' o' .
A d' v' i' n' c' u' l' a' s' a' n' c' t' i' p' e' t' r' i' o' f' i' c' i' .
 i' n' t' a' d' e' s' i' d' e' r' a' c' o' m' p' l' e' a' n' t' u' r' . p' .
 h' e' r' i' 2' v' i' c' i' a' n' o' s' t' r' a' p' u' r' g' e' n' t' : 2'
 h' u' i' d' o' m' i' n' e' o' p' e' r' a' t' i' o' n' e' m' y'
 d' e' s' t' r' u' c' t' u' r' i' m' e' r' a' l' i' a' . **L** o' b' . **P** e' t'
C o' r' d' e' d' o' n' a' c' o' c' i' l' i' e' t' . p' . **L** o' m' .
 l' a' t' i' s' a' d' o' l' u' a' t' : 2' t' u' e' n' o' b' i' s' m' i' l' e'
 t' a' m' u' s' : 2' v' i' n' c' u' l' a' n' o' s' t' r' e' p' r' a' u'
 t' u' m' n' a' t' a' l' i' c' i' a' r' e' c' e' n' s' i' e' n' t' e' s' o' f' f' e'
 d' o' m' i' n' e' q' u' a' m' s' a' n' c' t' o' r' u' m' t' u' o'
 d' e' r' . **S** e' c' . **I** n' o' f' f' a' h' e' c' q' u' i' m' ?
 p' e' r' t' e' q' u' e' r' i' t' . **D** e' f' e' r' . **A** b' i' r' a' b' i' l' i' s'
 d' e' s' c' e' n' d' e' n' s' i' e' l' i' u' s' . **M** e' l' . **L** u' m'
A l' l' e' l' u' i' a' . X' . **I** n' t' i' a' n' t' e' . **E** u' a' n' g' e' l' .
F o' r' . d' r' i' . **S** t' a' d' . **S** t' o' r' i' o' l' u' s' d' e' u' s' .
E p' i' s' t' o' l' a' . **S** t' a' t' u' s' a' g' e' r' e' d' e' b' e' m' ?
 h' e' r' i' t' u' s' h' e' r' i' t' a' t' . **P** e' r' d' o' m' i' n' u'
 a' b' o' m' n' i' b' u' s' m' e' r' e' a' n' t' a' d' u' e' r'
 t' u' o' r' u' m' m' e' r' i' t' u' b' ? m' e' r' i' t' u' s' :
 v' e' n' i' a' m' p' e' c' c' a' t' o' r' u' : v' t' s' a' n' c' t' o' r' u'
 c' o' m' m' i' t' t' : d' a' f' a' m' i' l' i' s' t' u' i' s' i' u' o' r' u'
 v' e' n' i' e' n' d' i' c' o' p' i' o' s' i' m' m' u' n' ? **G** r' e'
 c' r' i' s' t' o' s' .



Fragment of a parchment page with faint traces of text and two triangular fragments of another page. The fragments contain the word "Capitulum" and some illegible text.

Ab. 9.

Ab. 9.

Deus qui scis tuis abdon **Evangelium**



INDEX CATALOGI: II. UO-

NUMERUS hoc comprehensarum

- I. Solemnia Anni Secularis Academiae Francofurtensis.
- II. De Auxilio Spiritus Sancti, Gindorfii.
- III. Gratulatio de recuperata Albia Regali, Mattiae Drusei.
- IV. Gratulatio Christiano II. Electori Saxoniae, de Acta Theoroni Saxoniae.
- V. Publica Gratularum Actio pro Reginae Britanniae Consecratione, Sinonis Tenii.
- VI. In Funere Georgii Frederici Ducis Brandenburgensis, Taubmanni.
- VII. De Vita et Morte Thomae Frederici, Captivi Ducis Saxoniae, M. Wolkii.
- VIII. Mite Consilia Senata Heckenberg.
- IX. Typotypos Scholasticorum Boni et Mali, M. Heideri.
- X. Epigramma Boni Militis et Stragis, M. Serritzi.
- XI. De Communicatione Zangeri.
- XII. De Mutatione Remp. Henrici à Geisler.
- XIII. De Anno Jubilaeo 1688, D. Rockbachs.
- XIIIa. Programma Publicum, N. Oue, in Guntzen.
- XIV. Programma Oticae Facultatis Witebergensis.
- XV. Actus Doctorum D. Balduini.
- XVI. Parentatio Lutheo Sabita M. Samsoni.
- XVII. Oratio memoriae P. Rungii Sabita M. Schmidt.
- XVIII. Oratio Parentalis de P. Mylio D. Hutteri.
- XIX. Chronologia de Theologorum quorundam opibus, M. Raufschardz.
- XX. Idolum Callimianum M. Zephyri.
- XXI. Oratio de Resonantia Haememae Philippo-Rameae in Logicis.
- XXII. Oratio de Utilitate et Necessitate Logicae Jacobi Martini.
- XXIII. Discursus Jam Ulro facti pro trinum Legem Naturam esse.
- XXIV. Oratio de Aeternitate tua D. Meureri.

INDEX VULGARIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Deus qui scitis tuus abdon

Euangelium



XVIIb 18
Parentatio Anniversaria

Pro

D. MARTINO
LUTHERO P.M.

Quâ comparatio instituitur inter duo Spiritus sancti
organa MOSEN & LUTHERUM

Habita publicè in

ILLUSTRI ET CELEBRI VVITTEBER-
gensis Academiâ 18. Februarii, qui Constantiæ & Con-
cordiæ inscribitur Anno 1606.

à

M. HERMANNO SAMSONIO
RIGALIVONO.



VVITTEBERGÆ

Excudebat VVolfgang. Meisnerus Impensis PAULI HELVVIGII
ANNO M. DCVI.

191 48.



Heb. 13. v. 7.

Mementote prapositionum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI: quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.

Psal. 116. v. 5.

Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.



191



Magnifico Dn. Burgravio
AMPLISSIMIS, NOBI-
LISSIMIS, PRUDENTISSIMISQUE
 Viris Dn. Consularibus totiꝑ: inclyto cele-
 berrimæ Reipubl. Rigenſis Senatui
 Dominis meis observan-
 diſſimis S. P.

DUPLICI imagine Leuiathan seu Satha- Esa 27. v.
 næ species in ſcripturis ſanctis ob oculos nobis
 ſtatuitur: tum quod ſit rectus, tum quod ſit tor-
 tuosus ſerpens. Quæ proſecto pictura ingenium
 Sathane in ſolidum nobis repræſentat, & in a-
 pricum producit. Nam quemadmodum terreſtres ſerpentes in ho-
 mines reſupinatos & in ſomnum reſolutos non reſiſtente & ſuſpen-
 ſa obreptiuncula, ſed totius corporis diſp. ſione & diſfuſione pro-
 ruunt, & non ſolum corpus hominis obſident, ſed per apertam oris
 viam in imum ſe demittunt ventrem: Sic quoꝑ ſerpens ille infer-
 nalis aperta ſepe vi in Eccleſiâ graſſatur, & velo malignitatis po-
 ſito nudum rectumꝑ ſe luſtrandum nobis ſiſtit: id quod in primiti-
 vâ Eccleſiâ ſub perſecutionibus tyrannorum factitatum, & etiam-
 num in Turcâ continuari videmus. Et quemadmodum terreſtres
 ſerpentes peregrinantem & hominem vigilantem callidius tra-
 ctant, eumꝑ per cuniculos, quaſi leuioris aſſultus & obreptiuncu-
 lam è ſpectuoſo reſeſſu adoriuntur: Sic etiam ſerpens ille ſubter-
 reſtris Eccleſiam interdum per cuniculos aſtus, doli, & mendacio-
 rum oppugnat: & mira lubricitate modo in has, modo in illas rem-
 ſuam verſat partes, ut ſimpliciores & incautos in curſu veri-



a lib. 4. de
Ecc. milit.
c. 17.
b Valenti-
anus ana-
lysi fidei
libr. c. 20.
Costerus
apol. par.
3. c. 4.
Serrarius
in libro de
Lutheri
magistro.
c lib. 4. de
Ecc. mil.
c. 17.
d apol. par.
3. c. 1.

Christianismi supplantet, atq; omni doctrine vento eos circum-
ferri faciat. Sic per cuniculos mendaciorum & consutarum hinc
inde cavillationum ac tortuosos & repandos assultus hodie etiam
Diabolus Ecclesiam infestat: atq; ad promovendam pugna huius
victoriam cogitatione certam eventu frustraneam subsidiaria
Iesuitarum opera vititur. Postquam enim videt p̄v̄p̄otē x̄p̄nc Sa-
thanas doctrinam Luthero professam cali terraq; machinā longē
firmiorem esse, quam arietare quidem, non tamen evertere liceat:
personam Lutheri desperabundus ultimo sed infestissimo & flexuo-
sissimo molimine impetit, eamq; per squamas & stabella sua obie-
ctā variorum scelerum nube infuscet. Hinc tot librorum strues à
Iesuitis coacervari videmus: quibus si verborum spumas, hoc est
mendacia & cavilla, quibus miseri Lutherum nostrum lancinant,
auferas, leberide & cassā nuce erunt inaniores. Hinc Pistorij apo-
stata virulentissimi anatomia: Hinc Conradi Vetteri scripta ma-
ledica & insana: Hinc Vlenbergij liber, in quo causas sue apo-
stasia reddit, & Lutheri famam rabioso obterit & oblimat dente.
Hinc scriptum illud Braunsbergensium (Wetterhan) indigita-
tum. Hinc quidam Cnoglerus perfidus apostata simili convitio-
rum mucō in rapsodiis suis Lutherum fœdissimē conspuat. Hinc
Bellarminus^a Lutheri magistrum facit diabolum: Idem cum eo
reliqui^b etiam propugnant Iesuita. Hinc idem Bellarminus^c ut &
Costerus^d subitanam & insperatam Luthero affingunt mortem.
Et quis queso plaustra illa convitiorum, quibus illi Lutherum no-
strum immerenter onerârunt, hoc loco saltem percensere, nedum
obterere & contundere possit; Proinde quia à doctrinā ad perso-
nam Lutheri impugnandam omne regni sui robur Sathanas tra-
ducit: utiq; exactam vitæ personaq; B. huius Patris historiam nos
tenere oportet, quam cœu clypeum omnibus istis stentoreis Iesuita-
rum vociferationibus obvertamus. Eam è diversis variorum
auctorum monumentis colligere, atq; per comparationem inter

Mosen

Mosen & Lutherum huius orationis angustiis & crepidinibus includere volui. Caterum nemo arbitrabitur, nos in hanc sententiam proclinare, quasi Lutherum Mosi juxta aestimemus, & nullam inter haec duo Spiritus sancti organa difformitatem agnoscamus. Obstant enim luculenta duo dicta: ^e Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: At non talis servus Moses meus, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per anigmata & figuras Dominum videt. Ex quibus dictis sole clarius elucescit, Lutherum in sublimi illa significatione, qua Moses, prophetam appellari non posse: quia Moses & reliqui tales Prophetae immediatè Spiritus sancti illuminatione claruerunt, quae ab omni eos errore preservavit. Paulus vero aliud genus Prophetarum prioribus inferius recenset, & dum sic ait: Propheta duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent: Quod si alij revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur. Et spiritus prophetarum prophetis subiectus esto. Quando igitur Lutherum Germania prophetam nuncupamus, in censum horum Prophetarum (de quibus Paulus loquitur) eum reponimus. Ut enim illi singularibus Spiritus Sancti donis ad scripturae sensum genuinum enucleandum praeter alios hominibus instructi fuerunt: Ita etiam Lutherus. Et ut illi non ab omnibus fuerunt erroribus immunes: Sic etiam Lutherus noster, quod libenter profiteamur cum Luthero. Luthero enim non ut Luthero fidem adhibemus, sed cum & ex scriptura loquenti: id quod vel semel maleferatis Iesuitis sit persuasum. Scriptura enim nobis est norma & iudex controversiarum, non Lutherus, non aliquis alius. Interim quia Spiritus Sanctus eius opera ad Antichristi regnum disturbandum uti voluit, atque Luthero huius officij respectu multa praeter alios Ecclesiae Doctoribus peculiaria sunt tribuenda: merito eius innocentiam

e Num. 12.
v. 6. 7. 8 &c.
Deut. 34.
v. 10.

f 1. Cor. 14.
v. 29. &c.

Tom. 1.
V Vireb. la-
tino fol. 1.
& 5.

& existimationem contra omnia supina natantia, & tertiatam
mentientiam Iesuitarum verba propugnamus, & rem poscimus.

Vobis vero Magnifici & Amplissimi patrie Proceres hanc
meam orationem iterum inscribere volui: non ut debiti, quo ad-
stringor, exolutionem: sed mea in vos subiectionis indicem & pro-
fessionem. Accipite quicquid hoc est opella, & faventia Vestra a-
nimam ad majora mihi commasculat meq; pristino vestro amore
pro sequi pergite. Deus Opt. Max. navi patrie nostra inter hos
bellorum fluctus suppetiatum (id quod haecenus largiter presti-
tit) ferat, & ipse summus nauclerus ad clavum ejus sedeat. Vos
etiam omnes diu florentes conservet, & vitam Vestram in seros
proterminet annos. VViteberga die 22. Febru. anno 1606. quem
felicem vobis ire, ut & omnes alios ex animo precor.

Vestrae Magnificentiae & Amplitudinis
Humilimus servus.

M. Hermannus Samsonius.



Λόγος Συγκριτικός

INTER DVO SPIRITUS SANCTI ORGANA

Mosen & Lutherum.

Maximam & sumptuosissimam sepultura & funeris pompam apud Romanos viguisse, indubitabili gravissimorum auctorum asseveratione accepimus. Præcedebant ibi faces & tubæ: præferebantur majorum imagines non paterni solum sed materni etiam sanguinis: præibat etiam Senatus & ordo ille sanctissimus afformato ad mœstitiam vultu: Sequebatur equester ordo & populus Romanus universus, atque hi omnes sine toga prætextâ, sine annulis, sine lato clavo, uno verbo sine insignibus magistratus. Atque hoc comitatu & ordine veniebat extra portam ad pyram, in quam ad ignem facilius concipiendum, & corpus levius comburendum conjiciebatur oleum. Cùm autem corpus jam in rogam esset impositum, sufficiebatur vino, lacte, melle, atque etiam sanguine ex victimis videlicet, quas diis inferis mactaverant, effuso. Hæc concisa est κατάγραφὴ splendo-

Hoc inveniuntur descripta apud diversos auctores recentente Joh. Kirchmano in lib. 2. de funeribus Romanorum c. 17. & sequentibus.

P A R E N T A T I O

Lampri-
dius in
Heliogo-
balo citan-
te Bencio
orat. 26.

ris in funerationibus Romanorum adhibiti: quo certè non omnes promiscuè (ut antiquus quidã scriptor testatur) sed eos tantùm adfecerunt, qui suis essent beneficiis Senatus populiq; Romani benevolentiam consecuti: quiq; omne vitæ suæ tempus ad virtutis studium & præclara facinora retulissent. Quamvis verò hæc omnia magnam habuerint vim ad defunctos honestãdos, eorumq; memoriam ad posteros perpetuandam: nullum tamen honoris genus cum eo, quod fit aut Oratorum operã aut Poëtarum, comparari posse, apud eos, qui iudicii sui maturitatem ad sapiëntiæ quasi solem percoxerunt, extra omnem dubitationis aleam positum est. Quod quidem Regina *Halicarnassi Mausoli* uxor *Artemisia* probè intellexit: cui quasi non satisfuisset in sua condidisse viscera delibutos odoribus & resperfos aquã mariti cineres: illudq; magnificentissimum exædificasse monumentum, quod septem accensetur orbis miraculis: visum illud etiam superpondiũ addere, ut amplissima exhiberet Oratoribus atque Poëtis præmia, qui conjugis sui res gestas secundã oratione commendarent. Quã in re pluri-
mos omnia naturæ & industriæ instrumenta experiri voluisse, & linguã calamoq; concertãsse tralatitium est. Hinc etiam legibus xii. tabula-

rum

ANNIVERSARIA.

rum religiosè sancitum esse constat, vt excellentium virorum præclara facinora publicà panegyri provulgarentur. *Polybius* cum Romanæ Reipub. præstantiam insigni aliquo documento probare vellet: Is, inquit, qui de jam sepeliendo mortuo pro rostris concionatur, etiam de alijs differere incipit: idq; primum de majore natu ex his, qui præsentibus sunt, recensens, quid quisq; illorum consecutus sit ac gesserit. Vnde fit vt juvenis ad hoc provocetur, vt nihil non pro Reipub. commoditate ferendum subeat, quo celebritatem, quæ bonos viros comitatur, consequatur. Hinc ab antiquo ævo *Pericles* in Græciâ legitur pro concione laudasse in bello Peloponnesiaco casos. Hinc in Reipub. Christianâ D. Ambrosium Valentinianum, Theodosium, & Gratianum pietissimos & summos Imperatores pro concione funebri phalerato verborum apparatu commendasse, planum est. Hinc *Gesnerus* noster Illustrissimo Celsissimoq; principi ac Dn. Dn. Friderico V Vilhelmo Duci Saxonix, Lantgravio Thuringix, Margravio Misnix &c. Hinc *Selneccerus* & *Vigandus* B. Luthero: *Camerarius* Melanthoni, *Heerbrandus* Iacobo *Andree*, *Cellius Schnepphio*, *Fridericus Petri Chemnicio* & alij alijs orationibus suis supremum honorem detulerunt &

Lib. 6. paulo
ante finem.



P A R E N T A T I O

exhibuerunt. Quos omnes jam in Famæ templo
collocatos

Nec ventura filebunt

Lustra, nec ignotà rapiet sub nube vetustas.

Quemadmodum enim illud vnum bonum
ad interitum non proclinat nec rogam intrat, vir-
tus & sapientia: Sic quoq; illi, quos virtutis cultor-
es vel pedestri velequestri sermonis genere cla-
rant, memoriam sui relinquunt bonã juxta & æ-
viternã. Ecquis enim vel fando audisset summos
illos belli duces, Agamemnones, Hectores, Aja-
ces, Vlysses, & reliquos tales, nisi à virtutis cultor-
ibus hoc esset; Vnde quilibet facile animadvertit,
me beatos Reverendi Patris Lutheri manes am-
pliori honoris genere maectare non posse: quã vir-
tutes eius excellentissimas memorabili laudati-
unculã prosequendo, easq; tum mihi tum alijs i-
mitationis (quantũ fieri pote) paradigma propo-
nendo. Etsi vero B. hic Pater nominis sui fama, o-
mnes pene mundi angulos impleverit, neq; pal-
lenti meà oratione lucem aliquam ipsi conciliare
possim; tamen partim Academiae hujus celeberrimæ
consuetudo, partim singularis meus in divi-
num hunc heroã affectus hoc officij onus hume-
ris meis imposuerunt: cui tam diu subsistam,
quam diu Pietas rei hujus arbitra atq; præses an-

nuct.



ANNIVERSARIA.

nuet. Vt autem commodè istud à me fieri possit, vitam Lutheri cū Mose viro Dei (quippe nuper Ægyptum & Papatum conferri audivimus) comparabo, illustrem ac diffusam inter hæc duo Spiritus sancti organa conveniētiam demonstraturus. Quod autem de Ægyptijs sacerdotibus Historici referūt, eos in sacris suis, cum carmen rerum majestatem nō æquaret, sonum tantum, quarundam literarum demurmurasse, cum indicio, nihil se posse, at plurimum velle. Idem profecto mihi accidit, qui complicatas animi mei notiones non satis feliciter evolvere possim, & gravi huic materiæ vestræq; expectationi non satis animosè contraire ausim. Commaſculabo vero frontem, & faventiæ vestræ aurà vela impleturus, de portu abnavigabo, perq; objectos trepidationis & obſilantium vocum aggeres brevi faciliq; trajetū temporis DEO adminiculante sulcum ducam.

Vetus est quod alij *Augustino* accensent: In hoc præſenti tempore non sunt nisi hæc tria: Nasci, laborare, mori. Hoc præclarum effatum ut statuæ Mercuriales viam mihi monstrabit, meq; trepidantem in flexuoso hoc itinere diriget. Cum Ecclesia in Ægypto Iosepho jam è terrà viventium submoto divinà benedictione

Comparationis mentum.

P A R E N T A T I O

Exod. 1 v.
16. & seq.

vt amænissimus furculus in viridarijs pinguesceret & diffunderetur: diabolus invidiæ stimulis agitatus, omnia regni sui machinamenta ad Ecclesiæ perniciem convertit: atq; ad hanc rem subsidiariâ regum Ægyptiorum operâ (cheu) feliciter usus est. Ipsi enim calidissimis irarum flammis duci suo succenturiantes non solum in adultos fædissimâ crudelitate desævierunt: sed & in recens editos infantes, quos à recenti partu etiamnum calentes è vitæ huius finibus exterminari & contrucidari iusserunt. Ecce in miserrimum horum temporum typhonem Mosis nativitas incidit patre Amram nepote Levi & matre Io-chæbed anno sexagesimo quinto post mortem Ioseph hoc est octogesimo anno ante egressum Israelitarum ex Ægypto. Profecto non dispar temporum fortuna Lutherum nostrum nascentem excepit. Vidit enim is lucem Islebij Cheruscorum in celebri comitatu Mansfeldico anno salutis nostræ supra millesimum quadringentesimum octogesimo tertio pridie die Martini, parentibus pietate & honestate eminentissimis *Iohanne Lutbero & Margaretha conjugè*, & sub ipsam nativitatis diem in templo D. Petri sacro fonte ablutus Christi numeris adscriptus est. Hoc enim eodem anno *Hieronimus Savanorola*

F. rra.

ANNIVERSARIA.

Ferrariensis, vir pietatis & edecumata, vt sic dicam, constantiæ ac prophetici spiritus titulo ex ipsorum Pontificiorum confessione commendabilis, cum Sylvestro Florentino & Dominico de Pisa ordinis prædicatorum ob *γνησιώς* antiquam Apostolicæ doctrinæ confessionem laqueo illigati & destrangulati: & tandem iussu Alexandri Sexti Papæ ardentibus Pyræ flammis objecti sunt. Hoc etiam anno frater *Nicolaus de Saxo Eremita*, qui apud Helvetios ob vitæ sanctimoniam & incredibilem abstinentiam (cum certò constitisset, eum sine cibo & alimoniâ plusquam viginti annos vitam tolerasse.) Numen terrestre est habitus: hoc inquam, anno is vidit visionem de Pontificis capite coronato cum tribus gladijs ex facie eius exeuntibus, & tribus in eam tendentibus. Recitat hanc visionem ex *Carolo Bovillo Selneccerus*, quæ procul dubio & tyrannidem Pontificiam & pænarum gravitatem vltici Dei manu Papatui immittendam adumbravit. Sane non diu nec morosâ consilij trutinâ deliberatio de conformitate horum temporum eget. Quæ enim immanitas animos Ægyptiorum Regum sub nativitate Mosis occupavit, vt reciprocante irarum æstu sanguinarium hoc consilium continuo meditarentur: Venite sapienter opprima-

Selneccerus
in historia de
D. D. Lu-
thero f. 194.

Exod. 1.
1. 10.

PARENTATIO

mus eum, ne forte multiplicetur. Eadem profecto plusquam Turcica rabies *Romani Deastri* peccatus sub natalicia Lutheri obsedit. Ut enim veri Dei confessores ibi *Ἰν. Ἐπιτῆ ἡδῆ* versati, & ad extremas fati lineas redacti sunt: Ita etiam hinc: quod à superiorum temporum historijs arcessere, in proclivi esset.

Membrum 2.

Quia vero mens hominis ad intuendam maximarum rerum lucem caligat, nisi mutuatio literarum sole sit collustrata. Nam sicut visus ab aëre circumfuso (vt præclare alicubi Aristoteles ait) lucem accipit: Ita animus hominis liberaliū disciplinarum culturā perficitur. Ideo etiam legitimus, Moſen è domo paternā mirandā providentiæ divinæ dispositione in aulam translatum, curā filia Pharaonis (quam Iosephus Thermutin appellat) incunabula ac rudimenta pietatis ac literarum posuisse. Vnde præclare Basilius de Mose: Dicitur Moſes ille, cui omnes homines maximam sapientiæ laudem tribuunt, Ægyptiorum doctrinis mentem excoluisse, atque ita ad contemplationem veri DEI accessisse. Sic cum in Luthero nostro ignea ingenij vis studiorum flabello magis magisque excitanda deprehenderetur, paren-

tes

Mathesius
in 1. con-
tine: & Sel-
nescerus in
historia de
Luthero
fol. 196.

ANNIVERSARIA.

tes voto adstrinxerunt, Musarum ministerio puerum addicere. Ideoq; institutioni scholæ Islebianæ primum commendatus, deinde *Magdeburgum* in spem vberioris profectus missus est, vbi lustris existens annos quatuordecim reliquias panis atri ab hesternâ cænâ ostiatim emendicavit: inde postquam prætextatis annis superatis adolescentior factus aliquod spei rudimentum dedisset, *Isenacum* ad matris agnatos abiit, telam studiorum trivialium contexturus: donec tandem anno ætatis vigesimo Erfordiam destinaretur, vt Academiæ moribus juxta & studijs consuesceret. Sic nimirum tum Moses tum Lutherus noster in victo ingenij nisu pietatis & artium studia consecrati sunt: saltem vt possent cum Platone *συνίεναι καὶ ἔργον δέειν*, cum Scapligero, scire & facere, vel cum antiquo alio, scire & prodesse. Cuicunq; enim arti te impendas, hoc tamen non nisi à studijs consequeris. Vnde apud *Euripidem* *Theseus* queritur: homines sexcentas fere artes & nihil non in apri- cum producere: vnâ tamen sollicitâ indagine minimè venari posse: quo pacto ex malo bonum & ex deliro sapientem facere possent.

Testa-



PARENTATIO

*Membrum 3
c. 17. v. 23.
& seq.*

*In concione
1. Martij
& historia
Salnecceri
fol. 197.*

*Niceph. lib.
8. c. 39.
Ruffin
lib. 1. c. 8.
Sozom. lib. 1.
c. 13. mona-*

Testatur autem Epistola ad Hebræos, *Mosen* grandiusculum factum negasse se esse filium filia Pharaonis, pluri faciens societatem afflictionum populi Dei, quam exigui temporis delicias, & maiorem opulentiam æstimans thesauro *Ægyptiorum* probrum Christi. Hoc exemplo *Lutherus* noster interfecto quodam ejus commilitone & juxta horribili fulminis ictu emisso, metu iræ divinæ & judicij novissimi in sanctas cogitationes delapsus est: Nihil esse hæc humana nisi jactationes & fluctus: In quibus nihil firmum, nisi ad anchoram veræ pietatis alligentur. Itaq; à circumfusis illis & vanis mudi scopulis navim suam abducere, eamq; in tranquillo cænobitarum portu defigere, & ligare semel sacro morlu decrevit. Vnde tandem constitutum *Augustini* Eremitanum complexus est. Sicut enim *Athenienses* de pace non nisi atrati cogitabant, prisci Oratoris dicto: Ita pleriq; nostrum vix serio de DEO nisi afflicti. Intentionem & finem Lutheri verum ac emaculatum hoc loco, auditores, in censionem ac arbitrium vestrum damus, non quæ à longè fædissimâ errorum pestilitate hunc finem consauciare potuerunt. Nam propter Tyrannorum persecutiones (non quod in hoc vitæ genere perfectionis apex constaret)

primi



ANNIVERSARIA.

primi monasticæ vitæ cultores in secessus ac solitudines profugerunt, neq; in Deum suamq; conscientiam prævaricati putantur. Sic quoq; Apostolicum illud B. hic pater (quod iterum dico) pensi habuit: quod totus mundus in maligno sit positus: Et omne quod est in mundo, esse aut concupiscentiam carnis, aut oculorū, aut superbiam vitæ: Ideoq; cum in mundo esset, noluit esse de mundo. Naturā enim plerunq; sic comparatum est, vt, quicquid est in hoc mundo vitreum, illud nos margaritum arbitremur: & omne punctum felicitatis in bonis externis, vt sunt opes, honores, voluptates, situm esse statuamus. Sed vt in hoc hallucinemur, vel vnus *Severi Imperatoris* ad mortem ituri exemplum adfatim testatur. Omnia, inquit, fui, & nihil mihi prodest. Proinde Lutherus ad veri iudicij lancem rem appendendo, mundanis quæ subdolas instillant blanditias, & venena adfigunt, renunciare & aliam vivendi viam insistere voluit: à quā tamen, simulatq; adhaerentem ejus fæditatem agnovit, justè abscessit.

Anno autem ætatis suæ octogesimo & exilij quadragesimo vidit Moses in deserto montis Sina angelum Domini in flammeo incendio rubi, & hanc vocem Domini audivit: Ego sum Deus

C

patrum

Niceph. 11
3. c. 39.
Ruffinus 11
1. c. 8.
Sozom. lib. 1
c. 13. mona
sticæ vitæ
principiū ac
ceptum fe-
runt An-
tonio: quod
notandum
lib. de Mo-
nachis con-
tra Bellaru
c. 5.
1. Job 2. v.
16. &
1. Job 5. v.
19. &
Job. 15. v. 1.

Membrū 4.

Exod. 3.

PARENTATIO

patrum tuorum, Deus Abraham Deus Isaac & Deus Iacob: Solve calceamentum pedum tuorum: Locus enim in quo stas, terra sancta est. Maxime intentis oculis contemplatus sum afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitus eorum audivi, & descendi ut eripiam eos ex manu Ægyptiorum. Ito quia mittam te ad Pharaonem, ut educaas populum meum filios Israel ex Ægypto. Moses vero modestissime respondit: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel ex Ægypto; Sic cum *Saxonia Princeps Fridericus* sapiens Elector illicio ac suasionem fratris sui Ernesti Episcopi Magdeburgici novum hoc nostrum *Athenæum* plantasset: cuius initiationis dies incidit in decimum octavum Octob. anni Christi supra millesimum quingentesimum secundi, primo Rectore *Martino Polich Mollerstadio Franco*: Atque ut dies iste Academiae nostrae auspicialis & votivus esset, frater *Fleccius* concionem habuit, in qua inter alia ita ornatus inquit. Ab hoc albo monte lymphidissima sapientiae & purae doctrinae aqua totum mundum irrigatura facili emissario destillabit. Ad eius igitur aquas spargendas, & vim ac vigorem melioris aerae affundendum, Lutherus quoque anno supra millesimum quingentesimum octavo evo-

catus

In concione
1. Martini
& historia
Selnae. fol.
199. & seq.

ANNIVERSARIA.

catus est, anno ætatis suæ vigesimo quinto promotore *D. Iohanne Staupicio* (qui quadraginta cænobiorum Augustinianorum in Misnia & Thuringia vicarius & generalis per Germaniam Ephorus fuit) viro plane melioris commatis ac moneta, vt Græci loquuntur, qui genus suum illustret atq; etiam gentem. Depreghenderat enim in Luthero ingenium ad optimas artes facile ac tenax, iudicij vigorem singularem, dona eximia, quæ tunc temporis inter monachos noctuino ovo erant rariora. Publicè prælegens Lutherus ad sacram scripturam tanquam ad obrussam (vt ait Cicero) omnia exegit, & spinas Thomæ, Scoti, Alberti, Criticà falce feliciter runcavit. Erat hæc ratio legendi & disputandi iis hominibus insolens, ad fallendum (ut opinabantur) facilis, & transmarina. Unde etiam *Mollerstadius Rector* admirabundus in hæc erupisse verba fertur. Monachus ille omnium nostrorum Doctorum sermunculos assilientes velut rupes franget & repellet, & personatam Romanæ Ecclesiæ faciem demutabit. Cum verò Lutherus isthæc ingenii dona curâ & industriâ magis magisq; in lucem proferret, de voluntate omnium tum Electoris, tum Ordinis Augustiniani, tum Academia, *Staupicius* ad petendum Doctoris gradum ipsum

Lutheri doctrina non est à Diabolo: Hæc sequentia membri 5. & 7. oppone clamorib. Jesuitarum Bellar. lib. 4. de Eccle. militante c. 13. Costeri apol. par. 3. c. 4. Valentiani in analysi fidei lib. 1. c. 20. Senarii in lib: de Lutheri magistro. Wigandus in oratione de doctrina & certans: Luth.

P A R E N T A T I O

solicitavit. Sicut verò Mosis modestià secundà oratione attollenda est: Ita non minus Lutheri, qui se huic honori juxta & oneri nō subsistere distinctè significavit: se quotidie morborum plagà de-
 jici, ideoque alium cui-vegetum est juvenili in pectore robur, succedaneum petiit. Hanc excusationem Staupicius risu taliq; oratione profecutus dicitur: Tempus jam imminet, quo DEUS opt;Max: per ministerium Doctorum certa negotia molitur: Ideoq; sive vitam hanc & lucem usurpes, sive secus, DEUS nihilominus utetur tuà operà. Proinde noluit Lutherus Magno *Staupicio* amplius recalcitrare & obsistere: sed anno ætatis suæ vigesimo nono (quod divinà plane virgulà factum) quo ante annos 10. Academia in hoc oppidum introducta fuerat, qui dies Luciae sacer est, publicus Theologiæ Doctor renunciatus est. Non pensavit hos honores Lutherus, id quod jam sæpe fit: sed ultro ipsi delati sunt. Unde etiam quod habeat officium cæleste & sanctum, ad quod ritè vocatus sit merito contra omnes portas inferorum alicubi gloriatur. Hæc commemoratio tum vocationis Mosis cum Lutheri nostri vobis, auditores, debet esse perquam grata, & toto animi sinu excipienda. Non enim possunt magni viri in rebus gravibus firmiori

infiltrere

Tom. 1. VV.
 teber. Germ.
 fol. 9. & 10.

ANNIVERSARIA.

insistere fulcro quã vocationis. Unum pro multis exemplum recitabo. Testatur historia sacra, quod Jehovah *Gedeoni* dixerit: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu *Madian*. Hoc onus me *Christe* fortissimum flagitabat Atlanta, tam quoad animi quam corporis robur: cuius etiam pondus *Gideonem* desperationis laqueo illigare facile potuisset. Ecquo ergo cõsolationis genere tantũ non nutantem ac jam jam de gradu deiciendum *Gideonem* firmat; certe nullo alio quam hoc: Scito quod miserim te. Quod probè intelligens *Lutherus* noster iterum sic ait: Doctoratum meum omnibus mundi bonis præfero: gravissimarum enim rerum onus mihi incumbens facilè ad desperationem me adigeret, nisi legitima vocatio in constantiæ gradum me reponeret. Quod cum ita sit, aurifabros imitemur, qui perpetuo defigunt oculos in massam auri quam probant: Sic & nos in vocationem legitimam.

Quemadmodum verò *Mosis* vocatio successu auspiciabili non caruit, sed *Israëlitis* vindicias secundum libertatem peperit, eosque ex averfabili *Ægypti* fornace in sereniorẽ auram producendo, à *Pharaonis* tyrannide adseruit. Sic cum *Lutherus* noster pleno gradu pergeret iter,

Judic: 6.

In concione
vider die
schleicher
und win-
kelpredi-
ger Tom. 2.
Vitt. Ger-
mã fol. 365.
Hec oppo-
nenda sunt
clamoribus
Jesuitarum
Bellarm. lib.
de Cler.
2. 2.

Membrã. 5.
Exod. 12. &
13.



PARENTATIO

quod suspenso antehac & resistente pede calcâ-
 rat, oneri Babylonicæ meretricis *Germaniam*
 subducendo, è nebulosissimâ omnium supersti-
 tionum & errorum Ægypto & è tenebris plus-
 quam Cimmeriis eam eripuit, & à durissimo *Pa-*
pa-sellorum imperio abjugavit. Non video (au-
 ditores) quis dicendi magister tantas res com-
 modæ orationis penicillo delineare, nedû illu-
 strare possit; Exiguane hæc vobis videntur toti
 Antichristi Romani regno prælium intentare;
 Quæso ergo mecum ad libram pressioris appen-
 dite iudicii, quid hoc sit; Revelare Antichri-
 stum, hominem peccati, filium perditionis: Co-
 ronam triplicem capitis ejus demoliri: convel-
 lere ejus imperium universale in omnes Ecclesi-
 as: Ius ipsius Canonicum publicè concremare:
 Concilia ejus impia enervare: bullas & excom-
 municationes ejus in foricas projicere: Mau-
 sim, hoc est, Missam Numen illud magnum Pa-
 pæ de statu suo deturbare: Scholasticam Theo-
 logiam de Ponte, quod ajunt, deijcere: Mo-
 nasteria evacuarè: templa ab idolis depurare:
 lupanaria sacerdotum diruere: trophæa publi-
 ca erigere in Germaniâ & aliis locis, cum hac in-
 scriptione: LIBERTAS ECCLESIAE CHRI-

ANNIVERSARIA.

ST I U X T A D E I V E R B U M. Et hæc omnia tentari ab uno homine, monacho misello, non armis, non fraude, non dolo, non pilo sed stylo, stylo inquam & calamo. Quis est ille, qui in toto mūdo pro terrestri Numine agnoscebatur? Papa; Quis est qui omnia divina juxta & humana jura in propatulo habebat; Papa. Quis est qui imperiū suū nō hujus mundi finibus sed etiā cæli in quo sunt angeli: inferni, in quo damnati, metiebatur; Papa. Quis denique est cujus decreta fulmina & minas spirabant, & hominum conscientias ligare volebant; Papa. Papam ergo Papam dico (hoc enim vocabulo omnia complector) abjecti monachi calamus potentiā verbi divini armatus, de statu ac gradu suo dejecit: Qui antehac habebatur pro Numine terrestri, nunc pro catharmate ac titione infernali: Quem ante juris divini gnarum arbitrabantur, nunc stolidissimum & dementissimum. Ecquæ vis & quod robur tanto robori comparari potest? De *Hercule* docent fabulæ, quod invicto animi nisu ac robore multa præclara facinora perpetrarit, de quibus (ut hoc mihi Salustius de suo largiatur) præstat omnino silere, quam pauca dicere.

De



PARENTATIO

De *Alexandro Magno*, *Julio Cesare* aliisque, belli ducibus referunt Historici, quod primi militares labores susceperint, primi omnium hostem invaserint, primi tela tractarint, ante signa processerint, in pugnae mole versati sint. Cum primis verò de *Alexandro Magno* testatur *Plutarchus*, cum tam saepe ancipitem belli fortunam tentasse, quod illius cervix vecte sit comminuta apud Illyrios: ad Granicum caput: sagittis apud Indos humeris ictus: apud Gandridas crus vulneratum: femur apud Issum laesum: aliis in partibus corporis alibi plagas & quidem graves reportavit. Sed quid hæc ad Lutherum nostrum, in quem non una aut altera gens factioso molimine insurrexit, sed totus orbis terrarum. Unde Orator *Cajetani Cardinalis nomine Urbanus Augustæ Vindelicorum* his verbis in Lutherum irruisse fertur. Tu ne opinaris, inquit, Princeps in hoc periculo tibi fore sospitatores contra voluntatem sedis Romanæ; Tu quis es, ubinam terrarum vitam tolerare voles: Cui Lutherus respondisse fertur: Sub cælo tutus ero; Terra DEI est, & ubique sumus sub tegmine cæli. O pectus Marpesia rupe firmitus; Vetus dictum est, & agere & pati fortia Romanum est. Sed profecto hoc adamantinum animi obur vincit omnem Romanorum constantiam.

Sæpe



ANNIVERSARIA.

Sæpe sane mihi hac de re cogitanti venit in mentem dicti, quod apud Herodotum in Polymniâ extat: Sic enim Artabanus ad Xerxen secundum versionem interpretis: Eum virum esse præstantissimum, qui inter deliberandum timidus sit, colligens omnia mala quæ evenire posse videntur: In agendo verò confidentem sese præbeat. Jure ergo Lutherus noster præstantissimus est censendus. Quis enim unquam Luthero fuit in audendo consideratior, in aggrediendo fortior, in agendo constantior; quis excellentiori animi magnitudine diriora monstra expugnavit; quis feliciores in operibus habuit successus; Collapsam enim ac perditam pene religionem restituit, ac verè Augiæ stabulum expurgavit, tanta certè felicitate, ut nullus fere sit angulus terræ ita cæcus & abstrusus; nullus recessus insulæ in Oceano ita abditus, quæ nõ ex obscuræ tenebris vitæ in clarâ admodum luce locârit. Quod cum fecit, quocunq; pervenit ejus fama, eodem etiam Christi nomen penetravit. Quo in munere & meliora multo, quam de Triptolemo narrant fabulæ, semina intulit mundo: & longe sanio rem quam senex ille Atticus, qui ut ajunt, Philosophiam de cælo evocavit, & mortales sanctimoniam vitæque puritatem edocuit. Laudent alii victorias

D

Hercules

PARENTATIO

Herculis, Hannibalis, Alexandri, Julii Cæsaris & aliorum: prædicent alii patrum vitas & miracula: extollant alii sumptuosa ædificia templorum, monasteriorum, pandochæorum: nos decet hanc victoriam, hanc doctrinam magnifacere, quæ isthæc omnia multis parasangis antevertit.

Membr. 6.

Quia verò DEO familiare est, sanctorum virorum vocationi publica testimonia & sigilla addere, eosq; potentiâ miraculorum exornare: lis igitur etiam Moses claruit, sicut legere est in ipsius libris. Considerandum ergo est, utrum etiam Luthæus miraculis edendis polluerit, atque cælestibus illis sigillis doctrinam suam obsignatam atq; firmatam habuerit. Neminem vestrum esse arbitror, qui nō in censum summi alicujus miraculi reponat, *quod Simson* unius mandibulæ operâ tot Philistæos internecioni dederit. En vobis monachulum, qui vel solo verbi DEI sono & calami operâ Babylonici istius imperii fundamenta parvo momento concussit: quantumvis adversus omnium temporū injurias solidè cæmentata viderentur. At quibus temporibus; quum imperia sua Papa non aliter quam DEUS ipse universo orbi præscriberet; quum reges hunc adorarent: huic Imperatores congenicularent: imperiaq; pro arbitrio largiretur: quum in hujus facta inquirere perinde esset, ac mōtem sanctū (ut ipso-

ANNIVERSARIA.

rū verbis utar) attingere, atq; adeo cælis ipsis obloqui. Is ergo ad cuius nutū cōtremuerunt in suis solis potentissimi Reges, ad unius homuncionis vocē in speciem contemtibilis ita cohorrui, ut ne nunc quidē spiritū recipere potuerit. Profecto Tiresia cæciores oportet esse Romanēses, nisi hoc miraculorū mirabilissimū agnoscant. Quemadmodū n. Moses miraculis suis, h. e. conversione aquarū Ægypti in sanguinē aliisq; plagis affligebat Pharaonē & rebelles consiliarios ejus: sic quoq; hoc miraculū Lutheri acceleravit Romanæ sedi & ejus assentatorib. plagas sempiternas. Ubi tamen in hoc mentis vestræ oculos defixos cupio, quod novam Moses legē promulgārit, ideoq; plurima etiā & stupenda edita sint miracula. Verū *fosia regē Helciā sacerdote* librum legis restituentibus, doctorū sive malicia sive ignorantia multo jam tempore sepultū: Idolaq; in Dei templū invecta profligantibus. *Esara* quoq; scribā & sacerdote Dei cultū populo ex Babylone reduci restaurāte, nulla tūc adjuncta fuisse nova miracula legimus. Sic quoq; quia Lutherus noster nō novā aliquam fidem aut recentem doctrinam (ut tamē quidam bonæ famæ hirudines rabios è juxta & mendaciter in nos debacchātur) propalavit, sed verè antiquā, quæ ab antiquo illo dierū originationem suā

*Opposenda
hæc sunt ul-
timis verbis
Bell: c. 2. lib.
de Clericis.*

2. Par: 34.

*In libro Ne-
hemie c. 8.*



P A R E N T A T I O

ducit, quæque suis jam olim miraculis affatim constabilita fuit: nulla hîc novorum miraculorum edendorum necessitas apparuit.

Membrum
7.

Quod verò olim sapienter dictum à quodam: Nihil arduum geri sine curis: ejus rei manifestissima etiam vestigia extant in Mose. Priusquam enim Moses liberationem Judæorum impetravit, sane nunc minas & excandescentiam *Pharaonis*, nunc *Jamnis & Jambris* obstinatiam & contemptum, nunc murmura & factiones populi devorare & tacito stomacho concoquere necessum habuit. Unde scriptura ait: quod fuerit afflictissimus, qualis nemo fuit. Ut enim rosa spinis & aculeis circumdata est: Sic quoque Ecclesia ejusque membra tyrannis & hæreticis. Et quod de Cæsare dicitur, idem longe melius ad Mosen referri potest.

Num. 12.
v. 3.

*Hic lachrimas inter sedeo & suspiria Moses,
Spem vultu simulans premo durum corde dolorem.*

In concione
Matthesi,
& bist. Seln.
fol. 206.

Eadem profecto fortuna Lutherum excepit. Is enim anno salutis nostræ 1518. in conventu *Augustano*, qui à *Maximiliano Imperatore* conscriptus erat, præludia hujus sortis primitus excepit. Orator enim Cardinalis Cajetani Urbanus ad Lutherum missus, multos cum eo sermones conferit: sed cum in colloquii cursu animad-

Steid. lib. 1.
fol. 5. & seq.

ver-



ANNIVERSARIA.

verteret, Lutherum pergere suum cursum :

Sicut cœlestia semper

Inconcussa suo voluuntur sidera lapsu :

digitum suo more erexisse, quo Luthero interminatus, dicitur. Aditum etiam per humanitatis cuniculos Cardinalis ministri ad eum strunt, vela ad mentientium sermonum auras expandentes. Inter reliqua verò præmissa salute & gratiæ annunciatione nomine Domini sui eum monebant, ne publicæ fidei literas vel peteret vel expectaret. Sed rectà Cardinalem adiret, esse eum patrem, in quo veteris vestigia recti: & totam rem tantum sex literis confici posse: R E V O C A. Inter hos verò *Hamantias* unus tamen fuit *Mardocheus*, in cuius pectore neque levitas neq; fraus tabernaculum collocarant: qui reliquis Cardinalis sui mansuetudinē phaleratis verborum ampullis attolentibus, Luthero in aurem infusurrabat illud Varronis: C A V E, C A V E C A N E M. Lutherus non moratus hominum molitiones, magistratus sui monitis annuit, & literas publicæ fidei ab Imperatore triduo post aduentum accipit, atque illarum auctoritate fretus *Cajetanum* compellat. *Imperator* (quod cedro dignum est) ante Lutheri ad *Cajetanum* aduentum, monet Cardinalem, ne in actione cum Luthero



PARENTATIO

ab humanitate degeneret. Cajetanus indignabūdo animo hoc inaudiens, stipulatur, se dictis pariturū. Tria ergo Luthero proponit: Ut palinodiā cantet suorum dogmatū: ut stipuletur, se non ad vomitum rediturum: ut Romanæ sedis pestes & nocūmenta à se amoliat. Lutherus palinodiā cantare recusans, verbi divini fulcro se sustentat, & scriptū Cardinali offert. Cardinale superciliosè hanc doctrinā improbāte, Lutherus rem totam ab ipso ad tribunal Papæ remittit. Hæc narratio auditores præludiū tantū & levem velitationem ad subsequētis pugnæ diritatem continet. Anno n. supra millesimum quingentesimum vigesimo primo curā & instigatione *Friderici Electoris Cesar* ut Lutherum audiret, conventū *Vormaciensem* agebat, & literis ad Lutherum missis eum eò evocabat. Lutherus se in viā dat, à multis honorificentissimè habitus. Pontificii hoc audito mirari, eumq; exemplo *Hussi* absterri, opinari. Proinde causæ suæ diffidentes, & dilationum examina longissima contexentes, procurant: ut *Cesar Glapeonem Gallum* concionatorem suum & *Paulum Amsdorpbium* cubicularium ad *Franciscum Sickingum* ableget cum petitione, ut Lutherū in arcem suam *Ebernburg* suscipiat. Perplexa enim & ardua negotia totius imperii salutem concernen-

*Steldan: lib.
3 statim à
principio.*

ANNIVERSARIA.

tia tranquillanda esse: se spectatæ ac eruditæ dignitatis ex omnibus ordinibus imperii viros eodem missurum, qui huic causæ interfint & præsent. *Sickingus Imperatoris* voluntati annuens, ad Lutherum mittit *Martinum Bucerum* cum diplomate Imperatoris. Lutherus hoc audito, verbum DEI, inquit, injuriam patitur: ego quo literis evocatus sum, me sistam, neq; me sermunculis aliorum sufflaminari patiar. Interea fama periculum interpretari, & multi bono animo Lutherum dehortari, ne se in fallacem adversariorum fidem committeret, & *Vormacia* abstinendo, *Vitebergam* repedaret. Ipse fidenter respondit: Hæc est dies quam fecit Dominus, vocatus venio, vocatus me sistam subsequo & astite Domino JESU Christo: etiamsi scirem, tot esse diabolos *Vormaciae*, quot sunt tegulae in ædium tectis. Venit ergo *Vormaciam* decimo sexto Aprilis. Cæsar comperto Lutheri adventu, undique stimulabatur, ut Lutherum vel igne, vel gladio, vel fune morti destinaret: non enim servadam esse fidem hæretico exemplo *Hussi*: Cæsar ab omni crudelitate alienus respondit: honestum esse principibus stipulationibus stare. Inquam etiam sententiam *Ludovicus Palatinus Elector* favoris sui libram devertit.

Vid. conc. 3.
Matthesii
et hist. Seln.
fol. 222. &
223. & seq.

Nolo



PARENTATIO

Nolo, inquit, consentire in necem ejus, cui fides mea manu meoque sigillo firmata publico nomine data est. Postridie ergo ab adventu vocatur Lutherus nomine Cæsaris & ordinum imperii per *Ulricum à Pappenheim*, Comparenti *Johannes Eccius* coram Cæsare & Principum concilio duo proponit: num libros à se scriptos agnoscat pro suis: & nū palinodiam cantare velit; Ad hanc rem gravi consilii lance deliberandam spacium unius diei Luthero dabatur. Qui deinde de sententiā suā rogatus, fidenti animo adseruit: se nisi scripturæ testimoniis convictum de sententiæ suæ gradu dimoveri non posse. Sibi enim ante oculos obversari illud Salvatoris, Qui me negarit coram hominibus, eundem etiam negabo coram Patre meo cœlesti: sæpenumero hallucinatum esse Papam: errasse concilia & sibi contradixisse, ideoq; unico scripturæ fulcro se inniti. Eccius fimbriata frôte & importunā voce Lutherum incessens, non ad rem responderi ait, revocatione opus esse. Lutherus sententiam jam distam ruminatur, & hæc Germanica addit: *Hie bin ich / hie stehe, ich / ich kan nicht anders / Gott hilff mir / Amen.* Sic cum Trevirensis sortem Huisi ipsi communem futuram annunciaret: Si ita fiet, respōdit, tunc decretis istiusmodi damna-

bitis

ANNIVERSARIA.

bitis Omnipotentis Jehovæ verbum: Darumb
 wil ich ehe Leib vnd Leben/strumpff vnd stiel dar
 über fahren lassen/denn Gottes klare vnd wahre
 Wort übergeben. O virum manibus, pedibus,
 mente & corde τετραγώνου. Citatur à Platone in
 Protagorà Simonidis dictum his verbis: Diffi-
 cile est nasci virum verè bonum, qui manibus,
 pedibus, & mente sit τετραγώνου, hoc est, quadra-
 tus, constans, & sui semper similis tam in rebus
 secundis quam adversis. O Lutherum nostrum
 virum talem, hoc est, semper sui similem; Com-
 mendatur à Dione *Marci Antonini Philosophi*
 cōstantia, quod semper fuerit sibi ipsi similis, neq;
 ulla in re sit mutatus. O constantiam levem imò
 plane nullam, si cum eà comparetur; Quintilia-
 nus jubet ut eos aversemur, qui dubiosam sen-
 tentiã verbis fallacibus & vacillantibus perpetuo
 pronunciant, quæ in diversas partes trahi rapiq;
 potest. O ergo Lutherum nostrum summo amo-
 re ob verborum simplicitatem & animi con-
 stantiam complectendum; Quod fretum, quem
 Euripum, tot motus tantas tam varias habere
 putatis agitationes fluctuum, quantas tentatio-
 nes & quantos æstus habuit hoc in loco cor Lu-
 theri. Vidit enim ibi Idumæos, Philistinos, Moa-
 bitas, Syros, Antiochos, Nicanores, Nerones, Do-

E

mitianos

PARENTATIO

mitianos, Trajanos, Antonios, Severos, Maximinos, Decios, Valerianos, Aurelianos, Diocletianos, Maximinianos, Julianos, Totilas, qui nil nisi flammã, ignem, gladium, funem spirabant, crepabant, jactabant: & haud secus tumebãt, quã asinus ille doffuarius, qui cū Isidis olim Deæ imaginem bajularet, divinos Deæ honores exhibitos sibi ascribebat. Verum enim vero inter omnes hos motus constantia Lutheri habello Spiritus sancti agitata mirabiliter eluxit, ancillæ aut servuli alicujus pavibūdas trepidationes minimè imitata. Non enim mortem esse malam arbitratus est, sed opinionem de morte, quæ malam eam facit. Sicut *Stoicus ille Epictetus* pulcherrimo exemplo sui *Socratis* insinuat. Sæpissimè enim exoptavit Lutherus, si DEO ita visum sit, se martyrio subijci, & tyrannide Pontificiorum laniari, uri, secari. Miserum me, inquit, qui indignus judicor martyrii coronã.

Membrũ 8.
Prov. 16.
v. 7.

Cæterum quod scriptura ait: Cum placuerint viæ viri Domino, etiam inimicos ejus diriget ad pacem: Hujus rei luculentum exemplar apparet in Mose & Luthero. Sicut enim Moses locutus ad Aaronem, qui extendebat virgam,

quã

ANNIVERSARIA.

quã percutiebatur pulvis terræ & facti sunt cy-
 niphes: cui miraculo magi & incantatores vel in-
 viti testimonium perhibuerunt: **Digitus DEI**
 hic est. Sic etiam plurimi ex Pontificiis doctrinæ
 Lutheri puncta suffragii sui deferebant: quod
 esset invicta & robore verbi divini adeo com-
 munita, ut inferorum portis subsistere possit.
 Sæpe enim legati Pontificii largissimis præben-
 darum & Episcopatum promissionibus *Erasmii*
Roterodami animum tentârunt, ut strictum ca-
 lami sui mucronem pro auctoritate Romani
 DEASTRI in Lutherum dirigeret. Erasmus disertè
 petitioni abnuvit causatus: Lutheri doctrinam
 propugnaculis sacrarum literarum ita esse cir-
 cumvallatam, ut à nemine mortalium expugna-
 ri queat. Imò addit seipsum plus consolationis
 ex uno scripto Lutheri haurire, quam ex toto
 Thoma aut Scholasticis Doctoribus omnibus.
 Accersivit etiam *Electo Fridericus* in quodam
Coloniensi conventu Erasmum cum petitione, ut
 intimam cordis sui sententiam de doctrina Lu-
 theri in apricum proferret. Erasmus iterum
 fatetur, doctrinam Lutheri immotis veritatis
 fundamentis exædificatam esse.

*Vid. conc. 1.
 Matthesi, &
 Selne. hist.
 fol. 211.*

*Vid. con. 2.
 Matthesi, &
 Selne. hist.
 fol. 216.
 Sleida. lib. 1.
 fol. 30.*



P A R E N T A T I O

Cui Elector : Cui ergo mi Erasme tam docti quam indocti in hunc miserum meum monachum adeo implacabili odio, calumniis & livore perpetuo æstuant; Cui Erasmus iterum. Duobus modis Lutherus in aliquos prævaricatus est. Coronam enim Papæ infandum in modum disiecit : & vitiorum comitatum inter mercenaria cænobitarum mancipia exauctoravit. Non enim jam ipsis licet sicut antehac voluptatum diffusione mollescere, gestire in crapulæ & compotationis gaudium, & dulcedinis labilis volucris titillatione mulceri. Memorabile autem cum primis est illud, quod in comitiis Augustanis, cum confessio nostra symbolica Imperatori & ordinibus imperii offerretur, viginti Mathæologi Pontificii adfuerint, qui communi iudicii consentientis libra in hanc sententiam proclinabāt. quod Confessio Saxonum nullis scripturæ arietibus labefactari nedum subrui possit. Hoc certè Caiphæ fuit responsum verum proferentis juxta conscientiam contra conscientiam. Atque hi fuerunt Atlantes, quorum humeris cælum Papisticum tunc temporis inclinabat. Sic *Episcopus Augustanus* durante Comitiorum actu ad Pontificios Principes & Episcopos dixisse fertur : ut piè & circumspectè agerent cum Lutheranis : quia doctrina

ipforum

Vid: non: 8.
fol. 84. &
hist. Selnecc
fol. 247.
Steidan. lib.
7. fol. 188.

Hist. Selnecc.
fol. 249.

ANNIVERSARIA.

ipſorum nulli fidei articulo ſit contraria: ideoq̄;
conſiliorum lancem nullà moroſà trutinà adhi-
bità magis ad pacem quam bellum eſſe depri-
mendam. Annuit huic opinioni etiam *Mogunti-
nus*. Poſſem ſuperſedere variantium exemplo-
rum allegatione: præſertim cum res adeo ſit ma-
niſteſta, ac ſi radio ſolis eſſet deſcripta. Unum ta-
men ſicco pede præterire nequeo, quod vobis
maximè gratum futurum non male ominor.
Imperator Carolus V. conferto peregrinorum ho-
minum ſatellitio ſtipatus ita exclamâſſe fertur:
Ah neceſſe eſt doctrinam Lutheraniſ profeſſam
non eſſe caſſam, ſed indubitabilis rationis firmi-
tatem habere. Et *Ferdinandus* initiò ſatis exulce-
rato adfectu doctrinam noſtram proſequens, ſen-
ſim tamen mitescere cæpit, atque hæc verba pro-
vulgare. Si à Romanæ Eccleſiæ ſocietate me ſub-
ducere vellem, Lutheraniſ me aggregatū irem:
quippe video, eos ὁρθοτομεῖν Dei verbum, & rectè
distribuere ſacramenta: neq̄; incertarum opinio-
nū fluctibus divariare ſicut Anabaptiſtæ, Stenck-
feldiani, & Calviniſtæ.

Quemadmodum autem in mundo ſunt an-
nuæ commutationes, & diurnæ nocturnæq̄; vi-
ciſſitudines: Ita etiam piorum animis perpetua
quædam viciffitudo oboritur. Nunquam enim

Conc. 8. fol.
87. hiſt. Sel:
fol. 253.

Vid: conc. 8.
fol. 92. hiſt:
ſel nec. fol.
253.

Membrū 9.



PARENTATIO

Exod: 32.

*Vid: cono: 2.
Mathefi fol.
19. & histo:
Senec. fol.
218.
Sleid. lib. 2.
fol. 53.*

isthæc spes animum Mosis obtentare potuit, fore, ut iste populus, qui tantam miraculorum divinorum multitudinem expertus, & tam gravia ob verum Dei cultum perpessus erat, à sensu pietatis veræ abscederet, & animum ad idololatriam traduceret. Unde etiam tam ferventi domus Domini zelo inarsit, ut de monte descendens, & clamorem idololatricum inaudiens, duas legis tabulas confregerit. Sic quoque Lutherus noster heroicum Mosis motum & divinum zelum duobus cum primis illustrissimis exemplis testatum fecit. Videns enim tyrannidem Pontificiam quotidie in se accrescere, ipse vero zelo incensus est: & absynthium illud doctrinæ jus Pontificium seu Canonicum, decreta seu Alcoranum Pontificis cum bulla & diplomate nuper Romæ provulgato in hac ipsa urbe anno supra millesimum, quingentesimum vicesimo, die decimo Decembr. aggregatâ omni multitudine scholasticâ, & magnâ hominû Doctorum turba subsequente, Vulcano litat cum tali sermone: Cum tu impie liber sanctum Domini conturberis, & honorem ejus destrinxeris ac raseris, conturbet & absumat te vicissim ignis æternus. Sicut fecerunt mihi, sic feci eis, inquit Simson.

Quanta



ANNIVERSARIA.

Quanta auditores *βδελύγματα* & abominationes in jure Pontificio comprehendantur, nullà prolixa recensione opus esse autumo. Proinde pedem profero ad alterum heroici & divini zeli exemplum. Cum vigesimo sexto Aprilis Lutherus Principibus, Comitibus & aliis propiciato Numine *VVormacie* valediceret, & per *Sturmium* Caduceatorem inde abduceretur, Pontificii sanguinariis consiliis toti suffarcinati, lignum quotidie & oleum ad incendium apud *Imperatorem* suggerunt: ut Lutheri cineres in auram spargerentur, aut in profluentem conijcerentur. *Fri-dericus Elector fidei* adamante Luthero colligatus, & machinationes istas maturè odoratus, in tempore malum antevertit, ut omnia Romanensium consilia in spongiam, quod ajunt, incumberent. Quare cum antea dimissus esset caduceator, & Lutherus per *Hassiam versoriam* cæpisset: *Fri-dericus* eum intercipi, & in locum subduetioem nec hominibus frequentabilem (*VVartenburgum* illum vocant ad *Isex-nacum*) per viros nobiles fide & silentio insignes & æstimatos *Steinbergium* & *Prelops Capitaneum* deduci jubet. Hic locus postea *Path-mos* appellatus est: in quo multa præclara monu-

*Vid: consio-
nem Mathe-
si 3. fol. 28.
Erbist. Seln:
fol. 232. &
seq.*

menta

PARENTATIO

Vid. item 4
concionem
fol. 29. & 30.
Sleidan lib.
3. fol. 72.

Fol. 33. &
34. con: 4.
Ubi. Soln.

menta edidit tum contra privatam Missam sedi-
mentum omnis idololatriæ Pontificiæ feculen-
tum & limosum: tum contra *Louvaienses, Lato-*
rum & Henricum Angliæ regem. Hæc ita dum
magno DEI spiritu & prospero successu à Luthe-
ro aguntur. Sathanas hostis veritatis & menda-
cii hyperaspistes, in absentia Luthei in hoc axe
per $\alpha \beta \gamma \delta$ (ut tum eruditiores locuti fuere, intelli-
gentes *Andream Bodenstein, Carlstadium Docto-*
rem) palmarium omnium Schvvermerorum hu-
jus seculi antesignanum & Coriphæum Zizania
disseminat venenata, & novos admiscet tumul-
tus. Factiosè enim statuas è templo ejicit, li-
bertatem fingit cum maximo scandalo con-
junctam, sacramentum altaris jubet homines
iplos absque confessione & informatione pià de
altari indignis manibus suis accipere: raptus cõ-
miniscitur spirituales internos: & Enthusiasti-
cos, ita ut scholis & institutione non sit opus: ha-
rum professiones & dignitates esse hominum lar-
vas & nullius usus, unumquemque doceri à DEO
non adhibita literarum cognitione &c. Lutherus
cognitis turbis à *Carlstadio* excitatis, & per motus
literis *VVitebergensium*, & cum primis *Dn. Me-*
lantbonis ex *Pathmo* animo excelso & zelo plane
divino *VVittebergam* redit anno supra millesi-

mum



ANNIVERSARIA.

mum quingentesimū vigesimo secundo, *Electori* causas significando, veniamque sui facti petendo. Incidit autem reditus Lutheri in hanc urbem septimo Martii die, atq; concionibus habitis spiritu & facultate dicendi nervosissimis veritatem cælestem (quam adversarii nō vidissent, etiam si nescio quis *Genius* aureā lucernā eos illustrāset) tam luculenter sub oculos ipsorum succussit, ut ne hiscere auderent.

Quia verò nihil tam magnum geritur sine periculis: in iis verò certissima piorum anchora est Oratio & Musica pia. Unde legimus in Mose, cum levando manus calido & suspirante animo supplicamenta Deo reddidisset, quod *Amalec* sit cæsus: cū vero remisisset manus, quod Israel impetuosis hostium conatibus cedere sit coactus. Hinc insignis isthæc precatationis formula singulis piis quovis auro carior: Dominator Domine DEUS misericors & Clemens patiens & multæ miserationis ac verus: qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem ac scelera, nullus apud te per se innocens est. Hinc insigne istud charisterium triumphabundā ac lætā voce post egressum ex *Ægypto* decantatum. Talis etiam pietas & devotio in orando & cantādo etiam in *Luthero* nostro conspicua est. Cum enim *Lu-*

Membrū 10.

Exod: 17.

F

therus



PARENTATIO

therus Coburgi, cum Comitibus Augustana anno 30. haberentur, ex consilio *Johannis Electoris* substitisset: precibus suis ad Deum effusis ita animum *Imperatoris* absens gubernavit, ut symbolica nostra confessio approbaretur, & verè ante extremum diem ultima esset tuba. Hinc refert *Vitus Theodorus Norinbergensis*, qui affecta fidelissimus adfuit *Luthero Coburgi*, se non satis ardorem & assiduitatem ejus in orando demirari potuisse. Quotidie cum tres horas studiis accommodatissimas impendisse precibus, & singulis quaterdecim diebus corporis ac sanguinis Christi communionem se procurasse, id quod, quoad vixit, deinde continuavit. Refert etiam *D. VVellerus Theologus* exercitiorum spiritualium experientia æstimatus, quod ex *Luthero*, qui cum conjunctissimè vixit, aliquando audierit, se facile precibus suis colloquium cum Angelo à Deo impetraturum, à quo in doctrinæ certitudine confirmaretur: sed se tribus de causis hoc facere nolle. Ne tentet Deum: Et quia expressum habeat ac infallibile verbum, à quo nihil alieni allaturus sit angelus, etiamsi appareat: Et quia diabolo diffidat, qui in angelum lucis sese transformare possit, & lætetur, si quis quærat visiones

Hæc Lutheri pietas omnia Jesuitarum mendacia de impuritate, ac aliis vitiis efficit in lucum prodeat.

Vid: eon: 8. fol. 88. & 89. & hist. Selnee. fol. 156. & seq. Vid. etiam eon: 12. fol. 142.

Conc: 17. fol. 156.

extra

ANNIVERSARIA.

extra & præter DEI verbum. Neque etiam obscu-
rum alicui esse potest, quid *Lutherus* ad princi-
pem *Georgium Anhaltinum* seculi nostri *Davidem*
scripserit: certum se esse, nullam belli flam-
mam ob doctrinam cælestem vel has aut alias
terras se vivo comprehensuram, quandoquidem
precibus suis DEUM quotidie pondus addere,
certo sciat. Ubi vero mea anima naturæ cesserit,
vos precum vestrarum fumo cælum subtexite,
& narium divinarum sensum commulcere. Atq;
hoc soliditate eventus firmatum esse, cuilibet
constat. Sic etiam unam tantum de cantionibus
Lutheri proponam. Cum *Lutherus* durantibus
Comitiis Augustanis Coburgi substitisset, resque
nostræ ἐν ἔνπρᾳ ἀνυμῶν consistèrent: inter alios pluri-
mos labores in manus sumsit Psalm. 46. Deus no-
stra spes & fortitudo, eumque singulari gravita-
te & delenificâ melodix suavitate numeris Ger-
manicis inclusit: **Eine feste Burg ist unser Gott.**
Fertur de quodam *Felice* non *Felice*, gloriante se
hanc lucem non usurpaturum, nisi propugnacu-
lum istud inexpugnabile (**die feste Burg**) intel-
ligens doctrinam Evangelii evertisset. Quem
DEUS ultionibus irarum persecutus sine agni-
tione & invocatione verâ morti subjecit.

Vid. fol. 96.
coro: 8. &
bist. Sclæet:

Vid. fol. 30.
concionis 4.

H. stor: Selm:
fol. 261.

P A R E N T A T I O

Hanc cantionem ipsum Sathanam alicubi in ob-
 fessa puella scævientem in angustias fugæ cōjecif-
 se, referunt literati. Neq; hoc vobis mirum vi-
 deri debet auditores. Si enim piarum pre-
 cum catapulta agmem diabolorum dispellit,
 quid ni etiā sacrarum cantionū; Testatur *Socra-
 tes* lib. 1. c. 21. *Antonium Eremitam* diabolos sæ-
 pe instar armati exercitus in se irruentes robore
 precum piarum à se abegisse. Preces enim & piæ
 modulationes sunt *ἀμυνθῆρια & προφυλακτικά* piorū
 contra Sathanam ejusq; squamas & flabella.

Membrk. 11.
 Num. 12.

Hist. Selnes:
 fol. 271.

Quod insuper de Mose legimus, *Aaronem*
 & sororem *Mariam* flammæ emulationis con-
 tra Mosē concepisse, cumq; eo de primatu &
 antecellentiā concertasse. Idem quoque Luthero
 nostro accidisse certū est. Sicut enim nullus ignis
 oritur sine fumo: Sic etiam gloria clarorum vi-
 rorum adlivescentibus oculis est exposita. Testa-
 ture enim *Melantbon Carlstadium* vento arrogan-
 tiæ & inanitatis distentum aliquando in hæc ver-
 ba erupisse. Non minus cupio magnus esse & su-
 spici, ac Lutherus. Et quæso annon *Peuceriani*
 contribules protagonistæ sui Genium in hoc ex-
 asse exprimunt: qui divinum illud & arduum re-
 purgati Evangelii opus à *Luthero* ad *Melantbo-
 nem* devoluere & traducere conantur. Prodeat

vero



ANNIVERSARIA.

vero ipse Melanthon, in cuius defensionem sacra-
menti religione sese adstrinxerunt, atque tales
blaterones ac nugigerulos auctoritate sua com-
pescat. Quis enim est qui Lutherum aurigam &
currum Israelis & postremae ætatis *Eliam* nomi-
navit; Melanthon. Quis primus de Luthero ver-
sum hunc usurpavit:

Vid: con: 6.
fol. 61. G
hist: Selnee:
fol. 270.

Nulla ferent talem secla futura virum;

Melanthon. Quis dona majorum nostrorum ad
trutinam exquisitissimi iudicii revocando dixit:
D. Pomeranus est Grammaticus, & textus ver-
ba perpendit. *Ego sum* Dialecticus, & ordinem &
contextum, membra, ac consequentias pondero:
D. Jonas est Rhetor, & potest Oratorio lepore, &
splendore verborum ornare & illustrare res. *D.*
Martinus vero est omnia in omnibus, cui cōferri
nemo nostrum potest: quemadmodum *VVolf-*
gangus Severus Cesaris olim *Ferdinandi* præce-
ptor vere de eo scripsit:

Iapeti de gente minor majorq; Luthero

Nemo fuit, sed nec credo futurus erit.

Quis inquam isthæc omnia dixit; Melanthon.
Eant nunc personati isti zelotæ sed novatores in-
felices, & contra proprium Melanthonis testi-
monium eum Luthero præponant. Sed oportet
me vela orationis, auditores, contrahere, neque
omnia comparationis membra inter *Mosen* &

PARENTATIO

Lutherum consecrari: aliàs oratio in immensum
 excresceret, & de vestrà in auscultando facilitate
 ac constantià periclitarer. Proinde unius aut alte-
 rius membri mentione hūc campum decurram.

*Membrū 12.
 Num. 12.
 Deut: 34.
 v. 10.*

Constat ex sacris Mosen fuisse ducem, cum quo
 Deus de ore ad os locutus est, cujus ductu etiam
 cæteris piis animus, spiritus, & successus datus
 est, & sine quo facile ardor deferbuisse. Hinc tam
 ad sacerdotes, quã Regem & populū tot admoni-
 tiones: Hinc tabernaculi, in quo divina peragerẽ-
 tur, exædificatio. Hinc reliqui Prophetæ & sacer-
 dotes & õnes doctores à Mose acceperunt doctri-
 nã de DEO, lege, promissione mediatoris, morib.
 cultibus, & contēentes Mosen in catenatã malo-
 rũ seriem prolapsi sunt. Constat n. Mosen cõple-
 xum esse historiã duorum milliũ & quingentorũ
 fere annorum ab initio mundi & generis humani
 usq; ad Josuam. Non enim existimabitis, Mosen
 fuisse tantũ legislatorẽ Hebræorum, nõ certè: sed
 etiã Doctor & Propheta summus populi DEI fu-
 it, qui illustrissimis vaticiniis de futuro Mesiã
 ceu tessellatis emblematis sua scripta exorna-
 vit, atq; hac ratione sicut reliqui Prophetæ etiam
 ad nos pertinet. Unde magnus quidã Theologus
 exclamat: Ille se profecisse sciat, cui Moses fons to-
 tius sapiẽtiæ Propheticæ & Apostolicæ valde pla-
 cebit.



ANNIVERSARIA.

cebit. Hæc profecto omnia ad amussim quadrant
 in Lutherum nostrum. Ipse enim (quod jam sæpe
 audistis,) auctor, caput, dux, & antesignanus fuit
 in opere reformationis: atque invicto & heroi-
 co plane spiritu doctrinam Confessionis Augu-
 stanæ, & cum primis articulum de justificatio-
 ne hominis coram DEO propter solius Filii
 DEI meritum gratuita, sine nostris vel antece-
 dentibus, vel præsentibus, vel consequentibus o-
 peribus solà fide unicuique applicandà propu-
 gnavit. Atque hoc vel maximè ex eo liquet, cum
 adversarii articulum illum hærescos titulo insi-
 gnem criminose perstringerent: ipse Filii DEI
 causam agens talè diploma edidit. Dico ego D.
*Martinus Lutherus indignus Domini nostri JE-
 SU Christi Evangelista*, quod hunc articulum
 (fides sola absque omni opere justificat coram
 DEO) firmum atque inviolabilem permittere
 debeat, *Romanus Imperator, Turcicus Imperator,
 Tartaricus Imperator, Persarum Imperator, Pa-
 pa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Mona-
 chi, moniales, reges, Principes, Domini, falsi fra-
 tres & Schvermeri*, totus mūdus simul cum su-
 is dæmonib, atq; insuper capita ipsorū mercedis
 loco tartareis subjiciētur flammis, neq; ipsos aut
 veneratione aut gratitudine aliqua prosequemur.

O illustre

*Vid. fol. 95.
 con: 8. & hi-
 stor: Selnee:
 fol. 274.*



PARENTATIO

O illustre iterum inexpugnabilis constantiæ exemplum; Hanc doctrinam hunc zelum suis inculcavit auditoribus, ut post mortem ipsius consimili animi confidentiâ Papatum adorti, reliqua ejus rudera disturbatum irent. Ille ille signifer esto, reliqui sive Melanthon, sive quisquis sit alius, commilitent. Atque hoc masculè antehac factitatum, & adhuc per pios & cordatos quosdam viros quotidie fieri videmus: neque in æternum membra illa dissecta & dissecta Papatus artifex aliquis conferruminabit, sed verè (modo DEUS propter extremam incuriam ac ingratitude[m] nobis non sit infestus) illud trophæum eventu suo non frustrabitur:

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua Papa.

*Histor. Seln.
fol. 272. &
seq.*

*Vid: conc. 8.
fol. 54. &
con: 7. fol. 77
Sleidan. lib.
6. fol. 175.*

*Conc: 11. fol.
127. Com:*

Ergo omnis spiritus, omnis calor, Omnis animus per Lutheri copiosissimum spiritum ac labores nostris Doctoribus felicissimâ scaturigine allapsus est. Quis est qui non tantum de Papatu, sed & Schuvenmeris Sacramenti perdis hominibus nescio quâ diabolicâ rabie in nos efferatis triumphum egit, eosq; in castris, quod ajunt, cæcidit; Lutherus. Quis *Anabaptistas, Stenckfeldistas, Antinomos, Judeos, Arianos, Turcicum Alcoranū* felici prælio expugnavit; Lutherus. Præterea auditores & silentio patior abire donata multa

alia

ANNIVERSARIA.

alia particularia. Unum tamen adhuc adijcere
 me Pietas jubet. Quis sacra Biblia è fontibus &
 lingua nativà in vernaculum nostrum transfu-
 dit; Lutherus. O quantæ molis opus sed non alio
 dignum Atlante; Verè enim scribit Lutherus, se
 optare, ut omnes, qui eruditionis opinione tur-
 gent, in hoc pistriniũ detrusi molam istã trusati-
 lem agitare cogantur: certo se scire, hunc laborem
 præsumptiosum eruditionis fastum dissipatu-
 rum. Quis est qui cum Tezelio, Eccio, Erasmo,
 Sylvestro Prieriate, Hochstrato, Ambrosio Catha-
 rino, Vicelio, Nausea scortatorum patrono, Emse-
 ro, Latomo: Vniversitatibus, Parisiensi, Lovanien-
 si, Coloniensi, & universà lernã Pontificiorum,
 rege Angliæ, & aliis prosperrimo & laudatissimo
 eventu dimicavit: Lutherus. Lutherus, Luthe-
 rus omnia bene fecit, ad quem merito versum il-
 lũ poëtæ, licet paululum demutatũ, accõmodo:

Vnus homo nobis scribendo restituit rem.

Eant nunc illa hæreticorum monstra, & Luthero
 nostro obstrepant, & convicientur virum, quem
 non lædunt: ἀτρωπόιγε θεῶν παῖδες invulnerabiles
 Deorum liberi, ait Pindarus. Laudent alii Augu-
 stini labores aut alterius Patris: me juvet Luthe-
 rum admirari, scripta ejus rimari: de quibus
 ex judicio magni Chemnitii verè juxta & con-

Conc: 13 fol.
 157. histor:
 Selnecc: 237.

V Vigandus
 in oratione
 litera D.

Vid. fol. 107.
 con: 10. &
 V Vigandi
 orationem.

Parte loc:
 com. 3. fol.
 100.



PARENTATIO

*VVigandus
in orat. su.
lit. C. 3.*

*VVigandus
in oratione
de doctrina
& certam.
Luth:*

Membrū 13.

*De obitu
Lutheri.
proxima
vide in 14.
concione D.
Mathesi.
Historiam
Steid: lit. 6.*

stanter pronuncio: Is sciat se profecisse, cui Lutheri scripta placebunt. Neque enim potest ex omnibus Patribus, id quod audacter vereq; affirmo talis summa (verba usurpo *VVigandi*) & tale systema doctrinæ sanæ peti, quale ex Luthero tanquã ex divite penu depromptum est. Quemadmodum ergo cum Moses de monte descenderet, facies ipsius sparsit fulgorem Israëlitis inaspectabilem & intolerabilem. Ita etiam Lutheri facies & libri ejus divino clarore collustrati ita excæcant hæreticos; ut eorum intuitum fastidiant & ferre non possint. In Luthero enim rectitudo & dexteritas judicii probanda: tenacitas verbi divini amanda: vis eloquentiæ veneranda: facilitas scribendi admiranda: perspicuitas & jucunditas rerum ac verborum optanda; celsitudo ac alacritas animi prædicanda: constantiæ gravitas imitanda.

Quia verò nos qui sacramentum veræ religionis accepimus, scimus, quantumvis in hoc seculo aliquid sit augustum, sublime & speciosum, mortis tamē cōditio illud devinxerit: Imò quod vita nostra sit mors continua: idem etiam tum Mofi, tum Luthero accidit. Vixit enim Moses annos 120. & fuit fidelis servus in totà domo Domini, ac Calendis Martiis teste *Josepho* in libri quarti

fine

ANNIVERSARIA.

fine absoluto penso operas deseruit, & terræ corpus spiritū DEO reddidit, & ab ipso Domino sepultus est. Sic enim *Josephus* inquit: Mortuus est postremo mēse anni, qui à Macedonibus *Dystrus*, à nobis *Adar* appellatur, cū Luna esset nova. Sic etiam *Lutherus* noster ex mundi hujus ergastulo indigenis Itranscælestis curiæ additus & beata migratione de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmiū, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad noticiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem, de male materiatis his ædibus & ruinoso hospicio ad Olympicum stadium & beatæ vitæ halcyonia est evocatus. Id quod factum anno 1546. hoc ipso *Constantiæ & Concordiæ* die 18. Februarii *Islebiæ* in patria, anno ætatis 63. Dignus profecto uterq; qui mortis tela nō excepisset, aut vitam in longè seriores annos proterminasset. Verūm divina voluntas nobis lex esto, cui acquiescere nolle, à verà pietate alienū est. Mori enim omnibus fatale esse scimus, at piè mori bonis natura tribuit. Sic ergo duo insignia & æstimata DEI organa *Lutherum* & *Mosen* oratione nostrà quali quali comparavimus cum consideratione ad veteris & summi Theologi de vità humanà sententiam: Nasci vidimus, laborare vidimus, vidimus etiam mori.

Et historia à D. Selteccro fol. 275. & seq. conscriptam, quæ omnia opponere Bellarm: nugis lib. 4. de Ecclesia militi c. 17.



P A R E N T A T I O A N N I V E R S A R I A .

Convertimus verò nos supplices ad Deum
 ter Opt. Max: & calidissimo apud eum adfectu
 instamus, ut talium virtutum (quales in Mosis &
 Lutheri speculo vidimus) splendorem etiam nū
 in cordib. *γνησίως θεολογόντων* radiare sinat, qui sint
 miraculū & gloria nostri seculi, nostræq; confes-
 sionis: utq; purā & emaculato verbi divini am-
 brosiā ac nectare nos pascere & irrigare, & absyn-
 thiū doctrinæ *Papisticæ ac Calvinisticæ* à faucibus
 nostris prohibere pergat. Simul etiam idem be-
 nignissimus DEUS ad hanc nostrā scholam & Ec-
 clesiā ut & omnes alias vere *Lutheranas* propici-
 os oculos reflectere: omnes sanæ doctrinæ hype-
 raspistas ac valentissimos (ut quidam ait) hære-
 seon malleos diu conservare: docentium ac di-
 scentium laboribus divinā benedictione affulge-
 re: & omnes tandem belli tempestates ac pacis
 turbelas hinc inde averruncare, bellorumq; au-
 ctiores potenter cōtundere dignetur: quo in uni-
 tate Spiritus & fidei harmoniā ipsum hīc cele-
 brare incipiamus, & tandem in alterā vitā in
 omnem aternitatem colamus ve-
 neremur, adoremus.

Da pater Omnipotens, atq; omnia Numine firma.

D I X I .

PRORE-

PRORECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

DANIEL SENNERTVS, MED. DOCTOR, & Professor Publicus.

Ad diem perendinum, qui decimus octavus est Februarii, & Concordiae ab antiquo jam sacer, Annales memoriam LUTHERI nobis insinuant, qui eo die, annis ab hinc ipsis sexaginta, Islebiae in sinu patriae, spiritum & vitam Christo servatori, cuius gloriam acerrimè vindicabat, reddidit. Cumq; in hac Scholâ & civitate facinora & plurima & maxima contra hostes Evangelicae veritatis ediderit; ille pietatis & grati animi sensus à morte ipsius subinde aliquos in hac societate scholasticâ excitavit, qui memoriam & res tanti Herois gladio spiritus fortiter gestas vel hac die, qui ipsi immortalis fuit, celebrarent. Inter quos & nomen suum hac vice professus est amplissima Reipub. Rigenfium alumnus, nostraq; huius literariae annos aliquam-multos etiam civis, M. HERMANNVS SAMSONIVS, qui ingenium juxta atq; industriam suam multis modis hucusq; Academiae probavit. Atq; hic quidem cum meminisset, non ita pridem in auspicali Oratione Theologi Primarii Aegyptum & Papatum conferri; putavit se de veritate & auditorio non male mereri posse, si prioribus vestigiis insistens, λόγον συγκριτικόν inter duo Spiritus S. organa Mosen & Lutherum institueret. Eum cum ad diem Martis proximum hora IX. publice representare nobis paratus sit, hortamur omnes, qui sunt de nostris, ut in loco solennitati ejusmodi destinato frequentes conveniant. Erit profecto opera pretium auscultantibus. P.P. die XVI. Februarij, Anno Christiano M.D.CVI.



Ad literatissimum Virum.

M. HERMANNUM SAMSONIUM

Magno LUTHERO parentantem.

AUSONIO Cicerona sono, Demosthena Grajo
Vel saltem modicis assimilare modis,
Res est, qua laudum non laus magis altera claret,
Nec quæ plus decoris, plus & honoris habet.

Testes augusti fasces, sella q; curules,
Quæque nitent medio signa superba foro.

Et tamen est alter Cicero, ac Demosthenes alter
Theutonicæ Suadellæ ille LUTHERUS apex.

Cui non Lentulus acer, non Catilina animosus,
Martia nec Maceris fama Philippus agris

Cessit, sed cessit, quem Romus adorat, Alastor,
Semideumq; virum, semivirumq; Deum,

Auso tergemini diademata splendida regni
Detrahere, & luteo proteruisse solo.

SAMSONI, quid tu, quid ego? laudare LUTHERUM
Qui dignè poterit, ipse LUTHERUS erit.

Adamus Th. Siberus Orator.

MOSI legifero minisq; pleno
Omnium maximo & optimo Propheta,
Cum quo viva Dei loquuta vox est,
Ut consuevit amicus olim amico;

Huic, inquam, modò comparas Lutherum,

Zæli fulmine nobilem; Tudescis

Maximum simul optimumq; Vatem;

Cui & ipse Deus loqui solebat

Post siparia sacra litterarum.

Idq; dum facis, ô Livone SAMSON;

Ipsis Theologis meres, & ipsis

Oratoribus hercle comparari.

Fridericus Taubmanus.

ALI-

A L I V D.

A Nné fatin³ mentis cōpos HERMANNE, quod audes
LUTHERUM verbo condecorare gravi? (Averni
LUTHERUM? imò ipsum hunc: quem Rex malefuadus
In damnum docuit, Maxime P A P A tuum;
Qui medios inter calices, & festa Lyai
Cum gemitu & fremitu sub Stygis antra ruit,

Te D E U S increpet, execrabilis Es a vita,
Increpet, increpet, ac præmia digna ferat.
Anné latere putas tua nos mendacia, quamvis
De cathedra à vestro sint ea dicta D E O?
Quippe fatin³ mentis compos, HERMANNE, quid istum
Prosequeris doctâ voce, styloq; Virum,
Quo medio tandem fermenta scholastica, Papæ
Delicium, à nostro sustulit orbe Deus.
Ergo suas habeat sibi turba Suitica nugas,
Quas tuus eloquio divite sermo notat:
LUTHERUS vivat: vivat, vigeatq; repentè
Romani pereat gens malefana D E I.

M. Balthasar Meisnerus, Dresdensis.

A L I V D.

V I R T V S emeritis viris sepulchrum
Invidet; tumularier nec unquam
Mentis egregiæ indolem decusq;
Permittit. Sapientiâ superstes

Sic Laertiades decorâ: Achillis
Vnam sic animositas perenni
Spernit nomine: Sic beatiore
Artis & genii sagacitate
Musarum proceres sua viore
Nixi laude superstites triumphant.
Quos inter superosq; maximosq;
Omnes, præcipuas & auspicas.

sedes

Sedes fama tenet laboriosi

LUTHERI, supereminens decoris

Virtutis radiis minora quævis

Astra: templa scholasq; puriore

Verbi lumine qui micare fecit

Depulsis tenebris Papæ nefandis

Cæci: primus & a vios cave

An fractus, veteres a vere jussit

Semitas, nimis heu diu relictas.

Di vini ingenij euge faustitatem;

Firmam propositi ô tenacitatem

Magni in pectore abeneo LUTHERI

Spiritu æthereo subinde ad auctam;

LUTHERI ingeniumq; spiritumq;

Dium, Pontificale pertimescit

Sceptrum: quin metuit remota terra

Romani imperij jugo subacta.

Æternùm hinc viget: atq; adhuc virescit

Ornatè satis & satis venustè

Suadà SAMSONII politiore.

M. Esaias Baumannus, Dresdensis.

L. L. Studiosus.

A L I V D.

NEmpe parentales olim tibi dicere laudes
Certabant studio, magne LUTHERE, pio.

At nunc paulatim tantus deserbuit ardor,

Aut potius prorsum (proh pudor) interiit.
Non tulit hoc RIGÆ SAMSONIUS ille LIVONÆ

Gloria: desertum continuavit opus.

O operæ precium; quem pagina sacra celebrat.

Hunc celebri dignum laude quis esse neget;

Simon Cargius, Creilheimensis

Francus.

F I N I S.

... singularis imo celestis hominis filia



Gb 777. I

800

ULB Halle 3
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS
 ILLVSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOV. PHIL.
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDTT

114


In splendoribus singularis imo celestis hominis filia



romis sub tanta vniuersitate
solentur reuertitur de regione
guana. **H**odie cadet pulcherrima
filia populi sui & domini patris oblit
fama sancti spiritus micata sed igne
materiali consumata. **H**ierem cor doli
ad fidem inclinauerat sed iam int
pugnando detrosos amplexus vi
detur per respecies eius concupierat
in illa iunamur & filia audierat
quia celestis pater illa ut reuerteret
in uocauerat **S**ancto igitur narcho
in predicante statim ad mentem pa
tris rediit. **E**t cum illum cui male
adhibuit deseruit. **E**t que centum ca
dos olei dno suo redere debuit.
Accpta cautione sacramentorum
scripsit sibi quinquaginta & promeruit
esse filia **S**ic multi in retroactis era
tib' redire a suis errantibus. **S**ic ma
na magdalena sic mulier illa chana
neque postquam negauerat
rediit. **E**t paulus xpi uoce perstrat
resipuit. **M**artice a theloneo ipsius
pris rediit pconio. **E**t sacheu lico

Cus qui hunc di
nati uerbum transi
cruas ad eum missa
et uoce coniecta
mus: ut diuini pati
s: in eius meramur
tant formam: qui pec
uoriam fieri precepit
is dominus nollet
Hic martis offi
cpeccauerunt. **L**olla.
illa tuam questimus
supplente ppicus
que te impudant
tarius martiri tu
e locumque eius
atsequantur.
Donati martis
Vna condicione





xvllb

Parentatio Anniversaria
Pro
D. MARTINO
LUTHERO P.M.

Quâ comparatio instituitur inter duo Spiritus sancti
organa MOSEN & LUTHERUM

Habita publicè in
ILLUSTRI ET CELEBRI VVITTEBER-
genfi Academiâ 18. Februarii, qui Constantiæ & Con-
cordia inscribitur Anno 1606.

à
M. HERMANNO SAMSONIO
RIGALIVONO.



VVITTEBERGÆ
Excudebat VVolfgang. Meisnerus Impensis PAULI HELVVIGII
ANNO M. DCVI.

18